CAMILLI ACCARISII I. C. SENENSIS *ORATIO IN IO. IACOBUM NOUARINUM...

Camillo Accarisi

1146
27

1146 37

IX
AECAR
1612
1146
27

XVII
42

IX
AICTK.

M-5.

CAMILLI ACCARISII
I. C. SENENSIS
ORATIO
IN IO. IACOBVM NOVARINVM

Cotonienſem cum in celeberrima Piſana Academia Iuris Vtriuſq; laurea decoraretur

XVIII. KALEND. IVLII M. D. C. XX.

PLACENTIÆ,

Apud Alexandrum Bazzachium, M. D. C. XX.
Superiorum permiſſu.

CAMILLI ACCARISII I. C. SENENSIS

ORATIO

IN IO. IACOBVM NOVARINVM Cotoniensem cum in celeberrima Pisana Academia Iuris Vtriusq; laurea decoraretur

XVIII. KALEND. IVLII M. D. C. XX.

PLACENTIÆ,

Apud Alexandrum Bazzachium, M. D. C. XX.
Superiorum permissu.

PERILLVSTRI ATQVE ADMODVM

REVERENDO

D. D. AVGVSTINO BARATTERIO

SACRAE THEOLOG. DOCT.

DOMINO SVO COLENDISSIMO.

Bastianus Draconus F.

CVM è NOVARINI nostri cubiculo subdolè acceperim orationẽ, quam [illegible] solemniori ius inauguratione habuit Perill. Excellentiss. D. CAMILLVS ACCARISIVS, duplici præsertim de causa, etsi [illegible], eam in lucem edere constitui. Primum [illegible], quia licet extemporanea, pluribus tamen nominibus lectoribus grata futura est, quemadmodum & Auditoribus fuit, auctor enim aquè Iurisprudentiæ dicatus, ac Musis non dedignatur quandoque Iustinianeo relicto ad suauissimum Phœbi plectrum decantare. Tum verò accedit, vt per eam quo-

 que

quo pacto NOVARINO consulatur, nam qui omnium acclamatione celebratur, literarum quoque monumentis splendens par est, & qui literatis fauoribus laudabilem se præbuit, quo virtus laudata crescat, publico literarum testimonio laudetur. Vt autem orationem hanc ad te mitterem, proprio quodam iure coegit qui tibi est arctißimus cū NOVARINO amicitiæ nexus, tùm etiam amicitiæ fundamentum Virtutum ac studiorum similitudo. Nec sanè congruentius erat Theologi viri laudes, quā tibi in Theologicis non leuiter versato dicari. Itaque tuo sub nomine prodeuntes non modo patronum pariter atque amicum se nacturas esse sperant, verum etiam meum hunc in ijs promulgandis dolum bonum, tibi, ac cæteris probatum iri. Vale, & mea in te obseruantiæ qualem qualem significationem ne despice.

ORA-

ORATIO.

SIMVL ac ciuilis doctrinæ laurea suffragijs vestris decreta [Consultissimi, ac celeberrimi Patres] exornandū accepi IOANNEM IACOBVM NOVARINVM exacto iam iam Iurisprudentiæ curriculo in patriam properantem, venit in mentē Laertiades ille Vlysses, quem humanissimè, ac magnificentissimè ab Alcinoo Corcyreensium Rege exceptum in patriam mox redeuntem Mæonio carmine Græcus olor prosequitur; vt exindè indagāti mihi ecquid in eius inauguratione prolusionis haberem, qua recepto vbiq; locorum mori cedere possem, nihil tandem siuè accommodatius occurrerit, siuè opportunius. Et sanè Alcinoi Regiam Mineruæ monitu inuisens Vlysses, humanissima in eūdem regiæ munificentiæ officia, tùm antè discessum habita dè more libamina, & ab omnibus degustatum vinum, demum puellæ illæ elegantissimæ munera præferentes, & præeunte præcone hospitem ad suos reducentes Candidati nostri sortem ita prædixisse videntur, vt in his ab eo in re literaria solerter exacta plurium annorum spatia, vberrimique doctrinarum prouentus ne dum adumbrentur, verum satis superq; vel me tacente exprimantur. Diuertit ille iam olim Mineruæ ductu innatæ nimirum ad bonas artes propēsionis quasi œstro Odiss. lib. 13.

iocitus

incitus irrequieto, atq; expetenda Erynni compulsus ad regium Alcinoi palatium, scientiarumq; floridissimam officinã, iamq; mansuetiori literatura expolitus, atq; ad humanitatem informatus, genitricis naturæ penitiora arcana in celebri Braydano Gymnasio inuestigare exorsus est, vbi duces nactus nitidioris doctrinæ excellentia, & rerum experientia laudatissimos nullum ad sapientiam aditum, arduum quamuis, & dumis rigentem, intentatum reliquit, nullos extimuit labores, nil difficile perhorruit, vt vias penè inuias feliciter emensus innato interiores rerum causas noscendã desiderio faceret satis. Quoniam vero quæ

Inflammata semel nescit mitescere virtus

humanæ mentis amplitudinem perscrutata longum sibi iter ad gloriæ Corinthum adeundum superesse animaduertit, conquiescere, & angustis quasi carceribus contineri nequijt, sed cum Niso illo Hyrthacide ad altiora assiduo anhelans, non satis sibi duxit secreta naturæ penetralia lustrasse, ni quoq; abstrusiora, quãtum homini datum sit, ipsius naturæ Authoris mysteria pernosceret, existimans, reor, eorum, quæ à philosophicis fontibus hauserat parum esse latentes causas agnouisse, sed vlterius remotiora, & potissima principia ad veram scientiam assequendã esse omnino peruestiganda. Ergo nobilissimæ in eodem Gymnasio addictus disciplinæ increati principij contemplationi vacans, indè vero cœlestium creatarum mentium naturam rimatus, cœlesti penè dixerim dulcedine delibutus mirum quàm felicem, atq; vberem laborũ messem breui retulerit, quam Præceptoribus admirationem, cæterisq; in eodẽ puluere Stadiodromis laudis, ac gloriæ æmulationem exciuerit. Testimini vos alloquor, studiosi Commilitones, quoties NOVARA-

NVM

NVM vestrũ verè emerendæ gloriæ spe erectum, & in rerum abditissimarum contemplatione defixum suimetipsius penè oblitum admirati estis? Quoties somnum ab oculis, cibum ab ore, quietẽ à reliquo corpore suffurantem? Nouistis, opinor, quàm difficulter alatur incorruptæ spes gloriæ, quæ laboriosa facinora ceu fidissima pedissequa comitatur, iuxta illud sententiosi Theognidis

Difficilis est operi gloria læta comes.

Cui profecto ne quidpiam aliundè deesset seu laboris, ex quo aleretur, seu exantlati operis, ex quo sequeretur, nouo ille ausu nouam è rudentibus fortunã; vt Lyricus ait, quæsiuit, & in Parmensem Academiam profectus inclytæ ciuilis vitæ moderatrici Iurisprudẽtiæ operam dare cœpit: Idq; optimo sanè, ni fallor, consilio. Senserat enim, planeq; perspexerat, auream, pulcherrimamq; artium omnium disciplinam, cui sese primo mancipauerat Philosophiam, vt vulgo iactati solet, attrita, laceraq; veste incetreo, atq; infelici æuo velatam quoquo modo verius, quàm indutã spectati, & per summum dedecus ita negligi, ac pro nihilo duci, vt iam ornamentis denudata ab omnibus, & licet splendeat per se semper, alienis tamen sordibus obsolescere, proindè regijs illam paludamentis, duarum scilicet nobilissimarum facultatum habitibus obnubere, ac decorare optimũ factu duxit, vt nuda, atq; inops in se esse desineret, & quæ suo satis fulgore insignita apparet sapientibus, emendicatis aliundè coloribus vulgi quoq; gratiam sibi conciliaret. Ni fortè hæc NOVARINO fuerint mentis sensa, vt cum sibimet eo vsq; inuigilasse visus sit, illasq; iã adeptus disciplinas, quibus exculta mens se ipsam regere, nec non sibi famulantes corporeas facultates sapienter ad

libitum

libitum moderari potest, ad eam illicò sapientiam voluerit incũbere, qua mox instuctus alios ad normã ciuilis vitæ, æquitatis ipse, & iustitiæ vindex institueret, ac gubernaret, animumq; secretiorum ope disciplinarum iam à cœno terrenarum rerum abstractum, atq; in exedram speculationis sublatum, renouatis laboribus ad communem omnium vtilitatem auspicatò traduceret. Huc equidem libentius autumarim collimasse eam solertiam ingenij pernicitati iunctã, qua in studiosorum celebritate non infrequenti non modicõ illũ interuallo plerosq; ne dicam cæteros, præeuntem pari admiratione, ac voluptate assiduo respexi. Quæ enim in sublimioribus elementis latens ratio, quã gnauiter non rimaretur? quæ nã ambiguitas, quã prudenter nõ dirimeret, vel dissensio, quam ingeniosè ad rectum, & rationi consonũ diastemma nõ reduceret? Næ liquido ostendis quam præclare cum Iurisprudentia agatur ab ijs, qui cæterarum bonarum artium præsidijs muniti obstantes difficultatum scopulos haud infeliciter superant. Viderit vel illinc quotusquisq; est bonis artibus infensus quam immerito in Iureconsultis externarum rerũ notitiam reprehendat, & quã sibi per imbecillitatẽ adipisci non licuit, ab alijs quæsitam iniuriosè criminetur. Videat, inquam, & nisi pertinacis sit animi, perfrictæq; frontis experientia edoctus consilium tandem in melius commutet.
Sed hæc reflorescentis primæ fuerunt animi germina. Quos etenim studiorum fructus (Sapientissimi Patres) reportantem vidistis, postquam sui ille Præceptores fidissimè comitatus in celeberrimum hoc vestrum Pisanum Lyceum sese recepit, vt Iuris nostri elementa optimè iam percallens latiora ad prudentem habitum contrahendum composita volumina euolueret, & seuerioribus disputationibus insudaret? Obstupuistis, opinor,

opinor, quàm breui Horatianum illud aptissimè vsurpare potuisset

Nunc agilis fio, & mersor ciuilibus vndis Epist. lib. 1. Epist. 1.
Virtutis veræ custos, rigidusq; satelles;

venemini proindè permirum sit, ea semper à vobis fuisse in hac florentissima Scholasticorum vniuersitate hospitalitate, & comitate exceptum, tùm vero beneficijs iugiter affectum, quibus se auctum sentiens nunquam Vlyssi à Corcyrensium Rege hospitio excepto inuidere potuerit. At quis sui compos grati animi officia demirari possit à viris non humanitatis minus, quàm sapientiæ laude celeberrimis in virtutis, doctrinęq; sectatores collata, quos nemo, licet intra liuorē, & animi scabitudinem positus emissitijs oculis non suspicit? Miretur potius, ea omnia in NOVARINO non vulgariter splendescere, quę ad cæterorum gratiā aucupandam quam maximè conspirant; modestiæ etenim, quæ, vt inquit Mænander, promptuarium est virtutum, animorumq; moderatrix, tùm vero reliquarū affinium, & ingenuo viro dignissimarum dotium non quædam solum specimina, sed viua præsefert simulacra, vt sanè tam Præceptorum, quam Commilitonum animos frugalitatis delinimento, & probitatis odore quam suauiter ad sese rapuerit, & miro quodam nexu obligauerit. Fulgent illa quidē suo satis decore insignita; cæterum si varium literaturæ ornamentum adijciatur, præsertim vero sacratum legum peritia, mirabilis quædam, quasi ex Iouis, Solisq; congressu species effingitur, cum bono æquum accedat, quorum vtrumq; a Iureconsultis seruādum, si velint merito Iustitiæ sacerdotes vocitari. Quam autem potissimū hanc æqui, bonìq; artem Candidatus noster conquisierit, ne longius

B gius

gina vagemur, paulo ante in arena publica cũ ſtrenuiſſimis Commilitonibus literarium certamen ſubeundo teſtatum reliquit, ſi quidem tercentas ferè Iuris ad Præceptorũ mentẽ definitas quæſtiones, quaſi obſeſſas ab hoſtibus arces validiſſimè propugnans, modo vniuerſalioribus diſciplinæ principijs inhærens, modo ad ſingularia quæq; ex bono, & æquo determinanda deſcẽdens, adeo prudenter aduerſariorum tela retudit, ictusq; declinauit, vt iure ambigi potuerit Iuriſprudentiæne, an Iuris exactiorem notitiam affectauerit. Illud profectò ſubdubitari non potuit, nihil prorſus vel dexteritatis, vel acuminis, vel demum experientiæ ſuperfuiſſe, quod in aperiendis ambiguis legum ſententijs, detegendis hoſtium latibulis, tricis enodandis, & deſtruendis machinationibus deſideraretur. Conſtitit nimirum, domeſticas, quæ non raro cũ eruditis, legumq; cupidis Commilitonibus diſputationes habentur non modicum præſidij, vel munimenti afferre quoties ex ludicris penè ad ſeria prodeuntibus, ex vmbratili exercitatione in Sole, & puluere ſint manus conſerendæ. Vt ſanè ſcientibus nihil gratius contigiſſe NOVARINO publicè de Iuriſprudentia diſputaturo, quàm de ijs, quæ a Præceptoribus in dies hauriebat accuratam a Contubernalibus commentationem, ac diſputationem ſecum inſtitui, veniat confeſtim in mentem, fuiſſe illum feliciter æmulatum quod exercitationis gratia, & experientiæ hiſtoriarum monumentis conſignatum eſt olim a Romanis factitatum. Hi enim tunc primùm ſuas pelago

Polyb. lib. 1. Hiſtor.

rates commiſſuri, ne temerè ancipitem fortunæ aleam ſubirent, ſicca in arena nauigia ſiſti, remos agitari, cęteraq; munia exerceri voluerunt, quæ mox liquentes Oceani tractus peragrantibus neceſſario facienda præſoſcebant. Quamquã quid noſtro Candidato opus

in

in arena primùm suam quodammodo nauigationem delineasse, qui prius non semel dè semetipso periculũ fecerat, & in alieoos axiomatum vallos ratiocinationũ telis irruens vastissimi Oceani fluctus, Euriq́, minas expertus erat. Fuit, fuit hoc illi propriom ita secundis auspicijs ardua nautis vada, & metuendas syrtes enauigare, vt ad honoris arctos occasus nescias studiorũ nauigium, gloria duce, remige industria felicissimè direxerit, & quam sibi primùm Cynosuram proposuit, lynceis planè oculis assiduo obseruarit. Naturam ferunt esse Lyncium in Septẽtrionalibus syluis, vt nunquam retro respicientes consistant, sed continuo progressu, & saltu præcipitent cursum. Quos ille toto nauigationis spatio prudenter imitatus nihil fuit quo progrediens retardaretur, ludicrarum oblectationum illecebras, quæ sicut Atalantæ obiectum aureũ pomũ, iuuenum iter ad sapientiam remorari interdũ solent, callidè euitauit, & ceu fallaces syrenum cantus auersatus est, nec vllo vnquam impedimento detẽtus, quo minus citatissimo cursu ad præstitutam sibi metam cõstanter properaret. Hanc autem vt quantocius attingere possit, benignitate vestra factum est (Optimi Patres) dum post consueta libamina, hoc est (vt in re nostra interpretor) eleganter ab eo enucleata, vt moris est, Iuris capita, & singulis propinatũ dulcioris doctrinæ vinum, quasi in specimen reconditæ mercis, hospitem in patriam reducitis, & amplissimi Senatus vestri suffragijs eius virtuti perenoaturum honorem decreuistis, quo vestra in iuuenes dè legum scientia optimè meritos liberalitas omnibus innotescat. Cum ecce ad eius discessum honestatum illum videre est muneribus tribus honorificentissimis, tribus puellis præeuntibus, & dona præferentibus, quas olim Vlyssi ab Alcinoo discedenti præijsse accepimus. Quarum alia, quæ

Olaus Magn. lib 18 c. de animal. syluestr.

 clausam

clausam arcam ferebat, pretiosissimis gemmis asseruādis accomodatam, quid quæso aliud præsignat, quàm diuinam scientiam sacrosanctam Theologiam, quæ Præpotentis Dei recondita mysteria seruat, & cuius laurea superioribus mensibus hoc eodem loci annuēte Religiosissimorum Patrum cœtu insignitus es? Alia rursus, quæ Cereris dona, vinumq; rubrum gestabat, quid aliud intuentibus commonstrat, quam annuas Telluris vices, & geminicis naturæ per interualla motus, & quietis mirandos effectus, quorum vel abstrusissimas quasq; causas NOVARINO patere testatur abundè honorificentissimum diploma, quod Mediolani quinq; ab hinc annis vnà cum philosophica corona est consequutus. Alia demum puella maculis purgatam chlamydem, ac togam præferens illam affabrè significat, quæ diuinarum, humanarumq; rerū notitia Iurisprudentia vocitatur. Quid enim Iureconsulto æqui, boniq; artem profitenti magis consonum, quàm legum amica simplicitas, eò magis versipellium affectuum notas, & inquinamenta abhorrens, quò magis Iustitiæ sacerdotibus nil candidius, & constantius esse debet? Vides igitur EGREGIE IVVENIS quàm opportunè priscus ille Vlysses tuis ingentibus ausis, & conatibus præludebat, vtq; verè NOVARINVM NON VARIVM obsequiosa contubernalium Vatum natio festa quadam acclamatione gratulabunda occinebat in superiori illa triumphi tui rectius dixerim, quàm literariæ concertationis expeditione, cuius memoriam (vt rure paulo ante de beneficijs ab hoc celeberrimo consessu acceptis ex Ouidio dicebas)

Iustin. in § ceterū institut. de leceit. agn. success.

In fine Metamorph.

Nec Iouis ira, nec ignis,
Nec poterit ferrum, nec edax abolere vetustas.

Hac vnum a causa discrepare videtur, quod cū illas

equidem

equidem partes sustinere deberem, quas Pontonoi præconis olim in Vlyssis reditu fuisse constat, nulla sit mihi vis dicendi, nulla elaboratæ orationis industria, qua tua par meritis præconium afferre possim. At vero hoc etiam soletur vnum, quòd cum ea sit virtutis natura, ac doctrinæ, vt vix prius innotuerit, quàm in feracissimum laudum seminarium euaserit, iure sperari potest, vocalissima laudum tuarum fama præconis munus affluenter expletum iri. Quamobrem vbi meritorum tuorum censum, prætermissis oratorijs parergis, summatim enumeraui, seu verius indicaui, explicet illa præpetes pennas nusquam solui metuentes, nomenq; tuum præconijs non intermorituris circumferat; quæq; huc vsque a maioribus tuis quæsita belli decora, & pacis ornamenta extulit, aurearum te modo virtutum imitatorem extollat, quo cæteris dilucidè pateffiat, an eorum fueris imagines rectè assequutus. Quorum mihi seriem licet hactenus prætermisse consilium fuerit, ne cum proprijs ipse laudibus abundes, emendicatas aliunde congessisse viderer, vel ea nobis tribuisse, quæ vix nostra existimanda volunt sapiêtes, vnum tamen, & alterum quo minus hac postrema oratione tacitus omnino præteream eximia in remotissima viuendi ratione præstantia facit, tùm hoc plurimum impellit, vt vel hinc vnicuiq; exploratum sit, tã bellicæ virtutis, quàm cuiuscumq; doctrinæ solidam tui generis gloriam ad hæc nostra tempora propagatã esse, ac feraciter coaluisse. Alter nimirum AVRELIVS NOVARINVS religiosissimæ Minoritanæ familiæ alumnus, atq; ornamentum insigne, quem in celebrioribus Italiæ ciuitatibus pro côcione diuinũ verbum inculcantem, & liberiorem viuendi rationẽ detestantem omnibus in amore pariter; atq; admiratione fuisse, quem acerrimè de grauissimis quæstionibus

bus disceptantem maximo plausu theatra [illegible]
[illegible]
[illegible] verò [illegible] à Gregorio XIV. Max. Pont.
a[illegible] esse, [illegible] Episcopatu [illegible] fuerat decora-
tus, mox verò in Archiepiscopum [illegible] adscitus,
longè maiorem [illegible] (ut constans est fama) li-
beralitatem, [illegible]
[illegible] CAESAR NOVARANVS
alter [illegible]
partem [illegible] militia [illegible] aetate in
Belgio [illegible]
quam longa [illegible] honorifica
[illegible]
[illegible] mox verò à Serenissimo Vincen-
tio Mantuae Duce [illegible] honoribus, [illegible]
[illegible]
quibus [illegible] Serenissimo [illegible]
gloriae [illegible] Regni [illegible]
[illegible]
[illegible] quam [illegible] apud
Belgas ostenderit [illegible]
igitur [illegible] exemplo confirmatus
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible] honoris
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]

aperta, quibus te intelligas tàm iuris scripti, quàm nõ scripti administrum futurum integerrimum, æquitatisq, vindicem non minus, quàm stricti iuris apprimè peritum. Auréo anulo fortem manũ exornaturo multiplicem illarum rerum cognitionem in te non deside rari patefiat, quam sicut catena Homerica ex multis cõpacta anulis, sic formatus in circulũm anulus iu Iurecõ sulto ambitum multarum disciplinarum compendium esse significat, tùm vero auspicatissimum hodiernum tuum cum Iurisprudentia quasi coniugium innotescat. Quod si propter anulum, qui sub hasta quondam venijt, maximæ ortę sunt, Plinio teste, dissensiones, ac simultates inter Scipionem, & Drusum, sit hic dissimili planè exitũ perpetuæ tibi cum Iurisprudẽtia necessitudinis, initiq, fœderis authoramentum. Pileo veluti post partam sudoribus victoriam corona crines circumdo, qua te non modo exornatum sentias, verũ etiam ad maiora quotidie excitatus progrediare, quamobrem non tam vertici velamentum impono, quam omẽ ad maiora capio versiculũ hic ex Seneca vsurpãs lib.33 c.1.

Velamen eadem præstet, atq; omen tibi. *In Agamem.*

Postremo primus tibi gratulor, pacisq, & tranquillitatis custodem perpetuo futurum symbolo pacis excipio, id potissimum ex corde deprecans, ac simul sperans fore, vt faustis cœptis incrementa largiatur Deus, & hæc ipsa laurearum dignitas illustrioribus olim dignitatibus cumuletur, etenim

Auspicijs res cœpta bonis male cedere nescit, *Mar. Bettin. in Ruben. act. 1. duerb. 1.*
Auspicijs cœptq; bonis qui Numen adorat.

F I N I S.

F I N I S.

1146.27

Pandimiglio
restauratore
6274800